SERENISSIMÆ

Eboracensium Duci

MARIÆ FELICI,

FAUSTOS, FERTILESq; ANNOS.

LONDINI,

Excudebat *Tho: Newcomb* in vico vulgo dicto *the Savoy*.

M. DC. LXXIV.

Syn. 4. 66. 93

57...2646,7

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

NUsquam ſuavius quàm in prole Parentes reſpirant, Sereniſſima Princeps, nec aliud quidquam crebrius, aut ardentioribus Studiis exoptant. Patere igitur ut Regiæ Celſitudinis tuæ vota præripiam, & quæ ipſa Supremo Numini aſſiduis precibus, & ſuſpiriis offert, eadem ei anticipato augurio, & felici, ut ſpero, vaticinio conſecrem. Dignum te, Sereniſſima Princeps, audacter dico, non impar Regiâ tuâ Celſitudine munus hìc habes, deſideria ſcilicet Populorum, Angliæ totius vota, expectationem Regnorum, Regiæ Familiæ ſpem, Auguſtiſſimi Optimique Mariti felicitatem; & cum nihil dignum te ſit, Sereniſſima Princeps, niſi quod tuum eſt, quam fœcundo utero concepiſti, quamque brevi Regio ſinu jucundiſſime fovebis, Regiam Prolem, eamque Maſculam, amores tuos & delicias, Regiæ Celſitudini tuæ vates præ-nuncio. Cujus quidem laudes anglico Idiomate melius quondam celebrabunt plurimi, quas tamen ipſe latino Sermone auſus ſum attingere, tum quòd ille tibi familiaris ſit, tum quo futuræ tanti Principis gloriæ expectationem, apud Populos etiam remotiſſimos moverem, ut jam

 moniti

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

moniti illius olim Splendorem facilius poſſint ſuſtinere. Hoc itaque in Regiam tuam Celſitudinem *obſequii, & venerationis meæ monimentum, tuis advolutus pedibus,* Sereniſſima Princeps, *tuo ſubjicere patrocinio exoptavi, ut ei à te aliquid lucis affulgeat, in quâ tot ſplendidæ ſunt & lucidiſſimæ virtutum dotes, ut nihil minus in te fulgere quam Regalis purpura videatur. Si igitur quod tantum opus ſuſceperim non improbet* Regia tua Celſitudo, *ſique, quod ſuſceptum pro dignitate non perfecerim, benignius ignoſcat, inſtituti laboris fructum percepero jucundiſſimum*

Regiæ Celſitudinis tuæ

Humillimus, Obſequentiſſimus,

Devotiſſimuſque Servus,

EDWARDUS WYBORNE.

EX AUGUSTISSIMIS

EBORACENSIUM DUCIBUS

JACOBO

ET

MARIA FELICE,

SERENISSIMO PRINCIPI NASCITURO

Carmen Genethliaco-protrepticon.

Pes ſumma Regni, ſumma votorum omnium,
Magnique columen Principis.
Purpurea Proles, fertilis Matris decus,
Optata Patris gaudia.
Deſcende Cœlo, aut regio ſaltem è toro
Exi ſub auras ocyùs.
Tete Parentum vota, Regalis Puer,
Te Sceptra poſcunt Angliæ.
Si nempe CAROLO *dura Sors ſtirpem negat,*
Si fata CATHARINÆ *invident.*
Adhuc moraris? Solve naſcendo graves,
Aut rumpe clauſtrorum moras.

O quàm Serenos advehes tecum dies!
Quam læta nobis tempora!
Saturnus aurea plumbeus ſi olim dedit,
Anglis dabis tu gemmea.
Dilata cruciat, lenta ſpes torquet, veni,
Properata ſapiunt gaudia.
Fugis ne lucem ſplendidi partus tori,
Radiuſque lucis Regiæ?
Malum ne Mundi publicum fulmen times?
Lauro paternâ cingeris.
Naſcendo reus an Numen iratum paves?
Materna virtus protegit.
Feſtinus adſis, Patris ingentis breve,
Ortiva lux, compendium.
Solare ~~luguberem~~ triſtem præcocis fratris necem,
Audaxque fatum corripe.
Proh ſæva Sors! Regno invida, Anglorum nimis
Offenſa rebus proſperis.
Sic falce rigidâ Regios fructus metis,
Parcere Coronis neſcia.
Sic riſit una, & luxit extinctum dies
Regale lumen Purpuræ.
Heu fata ſiccine fallitis? triſti & joco
Ludum inſolentem luditis?
Utero Sepulchrum junxit, exanimis prius
Quàm natus, Infans occidit,
Reperitque in ortu triſtis occaſum dies:
Sic fata præcipitant moras.
Spes vana lucis, uterus ubi tumulum gerit,
Vitamque lethum præripit.
Fraterna repares damna, ſolamen Patris,
Matriſque jucundus labor.
Tibi laborant Sydera, atque ortus tuos
Aſpectus ambit lætior.
Tibi parantur æquora, & Regem ſibi
Cohors repoſcit humida.

Delphinus ut ſis, Nereus exoptat, ſuus,
Suumque vindicat Polus,
Rituque veteri gallicum littus, ſuum
Voto ſilenti deſtinat.
Hinc terra, pelagus, aſtra Delphinum volunt,
Suumque poſcunt ſingula.
Adhuc ne ceſſas? tertium Regni Jubar
A Rege, & a Patre alterum.
Multos docebis poſſe vel ſolam pati,
Facereque Soles Angliam.
Nec vacua vota ſuplicum tete petunt,
En junCta votis munera.
Polus beatos ſpondet innubis dies,
Longoſque vitæ terminos.
Saturnus aurea Secula, Serenum Jubar
Ævi reducet priſtini.
Opes benigni dives aſpectus Jovis,
Tibique regna præparat.
Triplex Corona Regium cinget caput,
Patriſque laurus obteget.
Totam Minervam vertici infundet tuo
Illâ ut gubernes Subditos.
Mavors viriles pectori auguſto dabit
Animos, Parentiſque æmulos.
Addet triumphos hoſtium Spoliis graves,
Segetem, & Theatrum gloriæ.
Ubique Victor hoſtium ſternes Duces,
Stratorum acervis altior.
Propera ſub auras, decoris in partem veni,
Ange Patris victorias.
Dum palma baccas fertiles olli parit,
Fovetque ſemen gloriæ.
Tibi legendam providus meſſem ſolo
Victor triumphali occulit.
Seriem Nepotum, columen Imperii, Venus,
Fulchrumque Regni providet.

Formoſa tete Diva Regalis tori
Longo beabit Semine.
Formabit artus, ora componet, ſui
Notas decoris imprimet.
Alatus inſtat, teque Mercurius Jovis
Interpres in lucem ciet.
Hic finget animum, commodos menti inſeret,
Jocique faciles Spiritus:
Cœleſtis addet flumen eloquii, & Sacræ
Artes docebit Palladis.
Sed quid Diana, Solque Cœlorum decus
Principis in ortus conferent?
Quaſcunque terras ſplendido aſpectu beant,
Quæcunque luſtrant æquora.
Quoſcunque divite luce theſauros creant,
Terræque celant viſcere.
Herois animos, pectus Herois capax,
Sceptrum, Coronam, omnia.
Hæc dona Superûm, Suplices audi Deos,
Naſcere, rogant te Numina.

OCEANI AD DELPHINUM ANGLIÆ Anticipata Legatio.

Dum blandâ puerum compello voce morantem,
Atque novis meditor ſollicitare modis:
Inſolito Tameſis reſtagnans gurgite, volvit
Ad fontem refluas præcipitatus aquas.
Audio Tritonum confuſo murmure cantus,
Voceque Sirenum littora dulcè ſtrepunt.
Ecce ſecat liquidas currus Cryſtallinus undas,
Et leni fluidum tramite ſulcat iter.
Humida turba Deûm dextrâ, lævâque frequentes,
Vocales Nymphæ, Nereideſque canunt.
Remigio Alarum Zephyri, gratoque ſuſurro
Molem agitant, currum, ſeu placet eſſe ratem.
Interea nullo luctamine concita ſurſum
Pellitur, & faciles machina vincit aquas.
Donec ad Auguſtas CAROLI *levis advenit ædes,*
Quà jacet alternis terra refuſa vadis.

Tum rauco conchâ strepitu insonuere retortâ
Tritones, plausus cætera turba dedit.
Audiit ut Tamesis, suspensas protinus undas
Sistit, & auritis lubricus hæret aquis.
Compositis pisces immoti corpora pinnis
Auscultant, fluctus, Naiadesque silent.
Cum summi dona ampla ferens, & vota Tridentis
Proteus hos vario protulit ore sonos.
Imperium Oceani CAROLO *debetur, & omnes*
Hoc fluvii agnoscunt, Oceanusq; Pater.
Delphinum at pelago Regali sanguine natum
Et fluvii exposcunt, Nereidumq; Cohors.
Nascere parve puer, liquidæ Rex nascere genti,
Te tua Sceptra vocant, sollicitatq; mare.
Proxima Delphinum mihi profert Gallia, at undas
Quì reget, in siccâ vix bene tutus humo?
Ipsaque, quin etiam longo quà littore serpit,
Antiquo tete Gallia jure petit.
Numina magna rogant, precibus votisq; vocaris,
Sit satis Orantes hoc petiisse Deos.
Munera si poscis, Tethys tibi munera, Nereus
Obsequii mittit pignora multa sui.
Detegit hìc vitreo quæ fornice dona latebant,
Puraq; Crystallus quas male celat opes.
Flammea vis gemmis, pretiosaq; fulgura, & undis
Ignes congeniti, perpetuæq; faces
Lumine confuso radiant, adamasq; topazo
Junctus discrimen dat, pretiumq; facit.
Unio, Chrysolitus, viridanti luce Smaragdus
Cernitur, hinc magnum munera pondus habent.
Hinc solidæ gemmarum undæ, illinc frigidus ignis
Emicat, & duro fomite flamma riget.
Omnia distinguit non uno gemma colore
Pignora, quæ Tethys divite pinxit acu.
Quasq; suo cunas Mater texebat Achilli,
Cum puerum Heroem stringeret ipsa sinu.

Munus

Munus adeſt primum, decus ingens, nobile donum
Tethyos, Infantis quo ſacra membra tegat.
His intertexti riſus, Puerilia paſſim
Gaudia picta volant, innocuiq; joci:
Hi fingent artus, Regali hinc plurima fronti
Gratia ſuccedet, perpetuuſq; lepos.
Abſtergent oculis lacrymas, ſuſpiria corde,
Ut toto obrepat corpore amica quies.
Hinc mœror procul omnis erit, denteſq; tenellos
Illæſo placidus mittet ab ore puer.
En quoq; Sirenes geminæ, queis pellere curas,
Et ſuavi ſomnos voce ciere labor.
Quæ puero invigilent, longæ queis tædia noctis
Aſſiduo cantu fallere, munus erit.
Aſt ubi paulatim teneris exceſſerit annis,
Cœperit & docili tela vibrare manu.
Illum hunc tela probent, quibus ipſe probatus Achilles,
Stet nova Troja armis, queis vetus acta ruit.
Quæq; olim parva ingentis ſolatia luctus,
Perfida poſt nati Funera, Matris erant:
Hacq; tenus ſpolia extincti ſervarat Achillis,
Delphino donat Tethys amica ſuo.
His olli maris arbitrium, pontiq; poteſtas
Tuta manet, Batavis non temeranda Procis.
Naſcere Regnator Pelagi, te flumina poſcunt,
Tritones, Nereus, Diiq; Deæq; Maris.
En Sceptrum fluido Ganges exſculpſit in auro,
Imperium Eoæ quo tibi firmet aquæ.
Plurimus it circum pretioſis unio formis,
Hucq; ſuas Indus contulit Amnis opes.
Flumine Amazonidum Peruano inſigne metallo,
Venit ab occiduis hoc diadema plagis.
Quo mare pacificum, freta Magellanica, ripas
Braſiliæ, Heſperiæ littora cuncta regas.
En tibi muriceo rutilat ſuffuſa liquore
Purpura; quam rubris Africa tinxit aquis.

Hinc

Hinc calidis Auſtri Rector dominabere lymphis,
Et Lybiæ Oceano jura ſuprema dabis.
Sequana, Rhenus, Iber, Tyberis, Tagus aureus, Iſter,
Quæque Europæis trunditur unda vadis.
Cryſtallo inciſum ſolium, Cryſtallina mittunt,
Fulcra Throni, en ſolidæ machina dives aquæ.
Quâ liquidæ Europæ ſedeas moderator, & addes.
Quadruplicis Dominus vindico jura maris.
Currite præcipites ad marmora currite fluctus,
Sat ſtetit attentâ pendulus amnis aquâ.

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE